

rit, gratias Henrico agi; quaecumque ad securitatem atque amplitudinem Galliae pertineant, ea pro veteri necessitudine & conjunctione Senatui summopere cordi esse: nullis officiis cum Pontifice, ut ejus auctoritate exortum incendium extinguatur, defuisse: optima spe duci, Henricum prudentia, virtute, copiis nuper coactis subiectos in ordinem redacturum, atque ad pristinam obedientiam Reginae in primis matris, aliorumque praefectorum consiliis perducturum.

Sed coepta jam incendia in dies augebantur. Guisii Tullum ac Verdunum, in Lotharingae finibus sita oppida, militum praefidiis firmant, classicum in Ugonottas concinunt; qui altera ex parte in Aquitania ac Pictonibus copias sedulo cogunt. At Regina mater, Lugdunensis Archiepiscopus, Lanfancius, quippe qui prudentia inter Regis consiliarios excellebant, tumultus tempestatesque subortas quacumque ratione sedare adnitebantur; cetera vel inutilia vel periculosa rati, Catholicorum auxilia, quod palam foederi adhererent, suspecta; Ugonottarum ambigua, atque a Christianianissimi Regis titulo aliena. Itaque arces, quae Regi obtemperabant, communitate, praefidiis militum firmare; Mediomatricum in primis, ad externa auxilia excipienda civitatem valde opportunam, operibus ac milite tutiorem reddere; ut cuncti, poena capitis proposita, arma deponerent, injussi non moverentur, edito cavere; ea ratione foederatorum delectum, qui quotidie habebatur, impediri posse putantes. At cum nihil obtineretur, inter populos Henricus vulgari curat: Religionis pacisque obtentu a foederis ipsos principibus in praecipuum agi: in eorum animis secretiora condi consilia; Gallos omnes catholicae religionis nexu devincire se vehementius exoptare; neminem, priusquam regni gubernacula suscepisset, vitam certioribus periculis objectasse: Dissensionum civilium fluctibus per tot annos Galliae jactatae cum interitum baud dubium imminere intelligeret, conventu Blensis vocato, pacem sanxisse: quid pro Ecclesiae firmitate atque incremento non egisse: quid ut dignitates ex cujusque meritorum ratione tribuerentur, reliquisset? Foederatos itaque Principes hortari, ne afflictis nuper regni calamitates instaurent; neu privatis studiis abstracti, eadem se cum patria clade ac ruina involvant: ab armis dis-

*Guiso-
rum bellica
aeta.*

*Regiorum
consilia.*

*Henricus
Rex Gallos
ad concor-
diam hor-
tatur.*

ce-